

perator electus, mox ab universo exercitu libenter acceptus. Qui mox, ut Neronis mortem comderit, Romam venit, & Pisonem nobilem industriumque adolescentem sibi in filium, atque in regnum adoptavit. Ille in adolescentia infamis, ad vescendum intemperans fuit: trium amicorum consilio, idest, Junii, Cornelii, Icelii, cuncta disponens adeo, ut intra Palatinas aedes pariter habitarent, & vulgo pedagogi dicerentur. Nam privata ejus vita insignis fuit militaribus, & civilibus rebus: sæpe Cof., sæpe Proconful, frequenter dux, gravissimis bellis militem summa severissime tractavit, ut ingresso eo castra vulgaretur statim: Disce miles militare, Galba est, non Getulicus. Hujus breve imperium fuit, quod haberet bona exordia, nisi ad feveritatem propensior videretur. Infidiis Othonis occisus est, imperii mense VII. jugulatus in foro Romæ, sepultus in hortis suis, qui sunt Aureliã viã, non longè ab urbe Roma.

O T H O.

Lucius Salvius Otho (14) occisus Galba, & Pisonem, ab Augusto septimus, invasit imperium. Splendidus ortus majoribus ex oppido Perentano. At tamen materno genere nobilior, quam paterno, neutro tamen obscuro. In privata vita mollis, maxime in adolescentia omni turpis, & Neronis familiaris, in imperio documentum sui non potuit ostendere. Nam cum iidem temporibus, quibus Otho Galbam occiderat, etiam Vitellius à Germanicis exercitibus imperator factus esset: belloque civili contra eum suscepto, tribus primum levibus bellis, hoc est, uno apud Alpes, alio circa Placentiam, tertio circa locum quendam, quem Castores appellant, contra Vitellianos duces congressus victor extitisset: quarto cum apud Bebricum (15) in Italia levi prælio victus esset, ingentes tamen copias ad bellum haberet, sponte semet occidit, petentibus militibus ne tam cito de belli desperaret eventu: cum tanti se non esse dixisset, ut propter eum bellum civile oriretur, voluntaria morte obiit XXXVIII. ætatis anno, XCV. imperii die. (16) Adeo militibus propriis amabilis fuit, ut plerique corpore ejus viso, suis manibus interirent.

VITELLIUS.

Dein Vitellius, VIII. ab Augusto, imperio positus est, familiã honoratã magis, quam nobili. Nam pater ejus L. Vitellius non admodum cla-

rè natus, tres tamen ordinarios gesserat consulatus. Hic tumens, crudelis, avarisque cum profusione fuit, & cum multo dedecore imperavit, gravique sævicia notabilis, præcipuè ingluvie, & voracitate: quippe cum die (17) sæpe quarto, vel quinto feratur epulatus: notissima certè cœna memoriæ mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit, in qua supra cæteros sumptus II. m. piscium, & VII. millia avium apposita traduntur. Hic cum Neroni famulus esse vellet, atque id adeo præ se ferret, ut etiam relictus fuerant, honoraret, ab omnibus exosus est. Postquam autem de Vespasiano comperit, primum deponere molitus est imperium: deinde a quibusdam animatur, B Sabinum Vespasiani fratrem, nil tum mali suspicantem, cum cæteris Flavianis in Capitolium compulsi, successuque templo, & mixta simul flammã, ruinãque, omnes in unum pariter interitum, ac tumulum dedit. At verò Vespasianus postquam apud Palestinam imperator creatus est, in Græciam venit, gaudens, ut Græci fatentur, in his quæ audiebat à Tyanensi Apollonio de tempore imperii sui, ac cæteris bonis fortioribus, loquens cum eo apud Ægyptum ab Indis, & Bragmanis, & Gymno sophilis illic diligentibus redeunte. Igitur Vitellius à Vespasiani militibus sub muris Urbis certamine habito superatus, ab exercitu suo destitutus est, appropinquantibusque hostibus jam trepidus, cum se in quendam proximam palatio cellulam contulisset, turpissime inde protractus, vinculis post tergum manibus, circumducitur ad spectaculum vulgi. C Cumque per sacrarum viam publicè nudus duceretur, ne insudens in extremis saltem malorum quæ gesserat, rubore faciem demitteret, erectã comã, & capite, subiecto in mentum gladio, seminudus, multo cæno, fimoque, & cæteris dictu turpioribus purgantibus ore, & pectore involutus, in forum deductus est, atque per scalas Gemonias trahitur, ubi Sabinum Vespasiani fratrem permiserat necari, minuti stormorum ictum crebris ictibus excarnificatus, atque inde unco tractus in Tyberim missus, etiam communi caruit sepultura. Periiit autem ætatis anno LVII. imperii mense VIII. (19) & die primo. Multis autem, & nefariis modis per complures dies à Vespasiani militibus adversum Senatium P. Q. R. inãisoreta cæde servitum est. Huic Vespasianus successit nonus ab Augusto.

(14) A. occiso Galba invasit &c.

(15) Ita vocat Eutropius. H. Bebricum, cum quo Ambrosianus.

(16) A. post die. Deinde Vitellius &c.

(17) A. & Eutrop. de die.

(18) A. exequias Neronis, quæ humiliter curata fuerant honoraret, à Vespasiani ducibus occisus est: interfecto in Urbe prius Sabinò Vespasiani fratre, quem cum Capi-

tulo incendit. Interfectus autem est magno dedecore, tractus per Urbem Romam publicè nudus; erecti comã, & capite, subiecto ad mentum gladio sercore involutus, & pectus, ab omnibus oleis appetitus. Postremo jugulatus, & in Tyberim dejectus, etiam &c.

(19) Eutropius imperii mense XVIII. & die uno. H. mense VIII. & die uno, cum H. Ambros.

Explicit Liber Octavus.